



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXIV. Prohibentur Christiani ne seruiant Saracenis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

re, aut veteres augmentare aliquo modo temere præsumat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus non destiterit; donec satisfaciat, communione careat Christiana.

## XXIII.

Cum dicat Apostolus, abundantio rem honorem membris infirmioribus deferendum, ecclesiastici quidam quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, leprosis, qui cum sanis habitare non possunt, & ad ecclesiam cum aliis conuenire, ecclesias & cœmeteria non permittunt habere, nec proprii iuuari ministerio sacerdotis. Quod quia procul a pietate Christiana esse dinoscitur, de benignitate apostolica constituimus, vt vbicumque tot simul sub communi vita fuerint congregati, \* qui ecclesiam sibi cum cœmeterio constituere, & proprio gaudere valeant presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caueant tamen, vt iniuriosi veteribus ecclesiis de iure parochiali nequaquam existant. Quod namque eis pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolimus redundare. Statuimus etiam, vt de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.

## XXIV.

Ita quorundam animos occupauit sæua cupiditas, vt cum gloriantur nomine Christiano, Saracenis arma, ferrum & ligamina galearum deferant, & pares eis, aut etiam superiores in malitia fiant, dum ad impugnandos Christianos, arma eis & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua

ANNO CHRISTI 1179.  
 cupiditate in galeis & piraticis Saracenorum nauibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur a communione ecclesiæ præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, & rerum suarum per sæculi principes catholicos & consules ciuitatum priuatione mulctari, & captiuorum seruos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus etiam, vt per ecclesias maritimarum urbium crebra & solennis excommunicatio proferatur in eos. Excommunicationis quoque pœnæ subdantur, qui Romanos aut alios Christianos pro negotiatione, vel aliis causis honestis nauigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Illi etiam qui Christianos naufragia patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, \* damnanda cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiaccere.

## XXV.

\*f. crimin

Quia in omnibus fere locis \* tantum vsurarum ita inoleuit, vt multi aliis negotiis prætermisissis, quasi licite vsuras exercent, & qualiter vtriusque testamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant: ideo constituimus, vt vsurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Sed nec eorum oblationem quisquam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos Christianæ tradiderit sepulturæ: & ea quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui episcopi satisfaciatur, ab officii sui maneat executione suspensus.

Concil. Tom. 27.

M m m ij